



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XII. Diploma.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

## Diploma.

**I**N nomine Domini nostri IESV Christi. Ludovicus & Lotharius diuina ordinante prouidentia Imp. Augg. Si libertatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficij, & necessitates Ecclesiasticas nostro releuamus iuuamine, id nobis. & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquidò credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus nostris, presentibus scilicet & futuris, quod sanctam Remensem Ecclesiam, in qua præcessores Reges nostri, videlicet Francorum, fidem, & sacri baptismatis gratiam perceperunt, in qua & nos per impositionem manus Domni Stephani Papæ Imperialia sumpsimus insignia, ob reuerentiam fidei Christianæ, & ob animæ nostræ salutem, ab imo construi fecimus, eamque in honorem Domini nostri Iesv Christi, Saluatoris mundi, simul & in honorem eiusdem intemeratę genitricis sanctę MARIÆ consecrari decreuimus.

Itaque diuina inspiratione compuncti, & celestis patrię amore succensi, quædam prædia, quæ eidem sanctę sedi quondam ablata fuerant, deuota mente restitui iussimus, id est, in suburbanis ipsius sanctę Ecclesię Titulum S. Sixti, nec non & Titulum S. Martini, cum appendiciis eorum. Rebus prædictę sanctę Ecclesię temporibus nostris adhuc superaddendum decreuimus, & statuimus per hoc nostrę auctoritatis præceptum, vt non tantum de istis restitutis, sed etiam restituendis; quidquid de ipsis, vel in ipsis rectores & ministri supra memoratę Ecclesię elegerint, ita debeant perpetualiter possidere, atque ordinare, vel etiam facere, prout cunque sibi propensius voluerint, vt absque vilius iniusta contradictione ordinent atque disponant, & faciant quid vtilitati prædictę Ecclesię congruere, & conuenire perspexerint. Et vt hæc nostrę auctoritatis confirmatio presentibus, futurisque temporibus firmiorem in omnibus semper obtineat vigorem,

rem, manibus propriis subter firmauimus, & annuli impressione signari iussimus.

## XIII.

*Diploma.*

**I**N nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Ludeuicus diuina fauente clementia Rex. Nouimus nos ad sacra regimina, & ad imperialem auctoritatem per sanctorum suffragia posse in futurum proficere, & beatæ gratiæ remunerationem æternis diebus mereri, si loca Deo dicata diuino accensamorem procuramus. Ideoque sciat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum posteritas, qualiter nos, per interuentionem nostræ dilectæ genitricis Ouræ, quasdam res sui proprii iuris, quas à largitate beatæ memoriæ patris nostri Arnolphi Imperatoris per imperiale præceptum susceperat, ad cellam S. Emerammi Martyris Christi, nostra regali auctoritate donauimus: Ea quidem ratione, ut easdem res, quædam vidua nomine N. diebus vitæ suæ possideat, ac post dies eius, in ius ac dominationem eiusdem cellæ redeant perpetuis temporibus tenendæ; id est curtem, quæ dicitur N., quidquid in potestate prænominatæ genitricis nostræ eadem die erat. Quod antea præceptis datum non fuerat, extra vel infra terminum eiusdem curtis totum cum omni integritate per consilium & consensum venerabilium Episcoporum, nec non fidelium Comitum nostrorum, & cæterorum omnium, sicut præteritis temporibus in singulis ministeriis Patrum nostrorum ordinatum fuerat, nihil extra dimittentes, in perpetuam possessionem tradidimus cum regimine, & eiusdem banno, mancipiis vtriusque sexus, ædificiis, pontibus & censu, sylua, omnique usu eiusdem syluæ, aquis, piscina, vineis, viis & inuis, exitibus ac reditibus, terris cultis & incultis, molendinis, pratis, pascuis, mobilibus & immobilibus, quasitis & inquirendis.

Et iussimus in hoc præsens præceptum cōscribi, per quod decer-